

INTERPRETATIONES N. T.
EX HIPPOLYTO COLLECTAE

QVIBVS

INAUGURATIONI
NOVI METAPHYSICES ET LL. ORR.
IN ILL. CASIMIRIANO ACAD.
PROFESSORIS P. O.

VIRI

PRAENOBILISSIMI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI QVE
IO. GEORG. HENR. FEDERI

ADHVC

IN CEL. ERLANGENSI PHILOS. DOCTORIS
DIGNISSIMI CLARISSIMI QVE

A. D. XXI. NOV. A. C. CLOCCCLXV

In nov. T.
in genere.
58.

RITV SOLENNI INSTITVENDAE

PRAEFATVR

D. ERH. ANDR. FROMMANN

CONSIST. DVCAL. CONSIL. CASIMIR. DIRECTOR
ET P. P. O.

C O B V R G I

LITTERIS FINDEISENIANIS.

Exeg.
C.

571,14



INTERPRETATIONES N. T. EX HIPPOLYTO.

Ex scriptis veterum ecclesiae doctorum , qui Patres dici vulgo solent, N. T. interpretem duplēm vsum capere posse, alterum *criticum*, qui in iudicanda lectionis integritate spectatur, *hermeneuticum* alterum, ad dictorum intelligentiam pertinentem, inter harum rerum peritos satis superque constat. Atque primum quidem scite ostenderunt, qui criticam N. T. operam nauarunt, viri celeberrimi, MILLIVS, WETSTENIVS, BENGELIVS, PFAFFIVS, ERNESTI, vterque MICHAELIS, alii. In quo tamen hac cautione maxime opus est, a viris laudatis non praetermissa, vt tum demum scripta Patrum criticam N. T. iuuare existimentur, si iis in locis diuersas a textu vulgato lectiones exhibeant, quae vel accurate et dedita opera interpretentur, vel ex quibus argumenta pro dogmatibus confirmandis aut contra haereticos defendendis ducant, vel denique ad codices, quibus usi sint, diserte prouocent. Vbi autem obiter tantummodo et eorum, quae proponunt, declarandorum causa, ex Evangelistis et Apostolis loca laudant, fieri facile potuit, vt ex memoria tantum illa repeterent, sicque, quod usu venire solet, in nonnullis aliter, quam quidem in codicibus legerentur, referrent; quare ex hisce talibus lectionis varietatem non satis tute colligere licet.

Sed

Sed mittimus in praesenti huncce vsum ex Patrum lectione sperandum , et alterum attingimus, in ipso dictorum N. T. sensu cognoscendo conspicuum. Vbi duplex scriptorum veteris ecclesiae genus occurrit ; primum eorum, qui proprie *Commentatorum* nomine nuncupantur , eo quod iustos commentarios in Noui Foederis libros scripserunt. Quales inde ab ORIGENIS aetate plures extiterunt, nostro etiam tempore ex parte adhuc reliqui , veluti ex Graecis CHRYSOSTOMVS potissimum et THEODORETVS, ex Latinis autem HIERONYMVS, vterque HILARIVS, PELAGIUS et nonnulli alii, qui omnes, grammaticam interpretandi rationem consecuti, hoc consecuti sunt, vt haud contemnenda rectae interpretationis exempla proposuerint; quamuis a pluribus parui hodie aestimentur, non propterea, quod in ea re iudicio et ratione vtantur, sed quia, p[ro]ae nouorum interpretationum nimia admiratione, veterum lectionem fere negligunt. Quod ni facerent, intellecturi essent haud dubie, quae probabiles interpretationes nouitatis specie hodie commendantur a nonnullis, eas, non in omnibus quidem, nam ii non sumus, qui antiquis nihil noui addi posse existimemus, at in quibusdam tamen , vel multis etiam N. T. locis , a Patribus iam anticipatas esse ; immo male nonnunquam a recentioribus tractari, quae recte a veteribus exposita fuere. Sed fortasse Patrum in N. T. commentarii plures lectores inuenirent, nec adeo esset, quod de contemtu eorum et neglegitu quereremur, si illorum facilior copia esset , nec tam sumptuosis operibus, quae paucissimi sacrarum literarum studiosi comparare sibi possunt, comprehendenterentur. Quare non inutilem credo

* 2

operam

operam suscep^tturus esset, qui eorum aliquem non nimis copiosum, sed breuiorem, et scholia potius, quam longas enarrationes complectentem, veluti THEODORETI in epistolas Paulli, separatim in lucem ederet, illique reliquorum Patrum, si quae sunt diuersae, interpretationes, per notulas adspergeret. Sed de hoc consilio obiter iam dictum esto, commodior enim eius exponendi locus alibi dabitur.

Reliquum est, vt de altero scriptorum veteris ecclesiae genere, qui interpreti N. T. commodent, dicamus. Hi sunt, qui sanctioris doctrinae capita aut aliud argumentum tractantes, scriptorum sacrorum loca, siue probandi, siue declarandi causa, aut alio etiam consilio, adducunt, iis tamen cum adiunctionibus, vt, quo sensu ea ceperint, haud obscurum sit intellectu. Qui, si primam praesertim ecclesiae aetatem attinquent, tanquam IGNATIVS, CLEMENS ROM. TEOPHILVS, HIPPOLYTVS, suspicionem faciunt, quas depromunt interpretationes, eas vel ab ipsis Apostolis, vel saltem a viris apostolicis accipere se potuisse. In quibus tamen haec in primis cautio est adhibenda, vt sicubi allegorias ad communem utilitatem comparatas, qui illorum temporum mos fuit, afferant, eas ne pro legitimis interpretationibus habeamus. Utuntur etiam interdum formulis Scr. S. in alienum sensum studiose inflexis, quae itidem ab interpretationibus, quas dicimus, curiose sunt distinguendae; vt nihil de explicationibus aperte falsis dicam, quales in scriptoribus antiquis etiam subinde reperi, nemo mirabitur, qui, non omnes literarum subsidiis ad interpretationem necessariis, instructos fuisse. me minerit

minerit. Haec omnia tamen minime impediunt, quominus nonnulla bona habeant gnauo interpreti N. T. profutura, quae delectu quodam et iudicio ex iis colligi, haud parui referat. Quae cogitatio cum iam ab aliquo tempore nobis iniecta fuisset, in praesenti in **HIPPOLYTVM** incidimus, nonnullas ex eius libris, qui aetatem tulerunt, N. T. explicationes proposituri.

Fuit autem **HIPPOLYTUS** scriptor Eccl. qui sub initium saeculi III. floruit, episcopus, vt videtur, a) portus Romani in Arabia felici, Aden seu Adan hodie dicti, et vt **PHOTIVS** b) tradit, *Irenaei* discipulus. Indicem scriptorum eius consignarunt **EVSEBIUS** c) et **HIERONYMVS** d) ex quibus, quae ad nostram aetatem peruererunt, collegit **IO. ALB. FABRICIVS** duobus voluminibus Hamb. 1716. et 1718. editis. Qui tamen libri, Hippolyti nomen prae se ferentes, an nostri omnes sint Hippolyti, et non potius alias recentioris, vel nomine hoc vere appellati, vel illo abusi, quaestio est passim a criticis mota et agitata. Quodsi omnes *vōθeias* aut saltem inter-

* 3

polatio-

- a) Verosimile hoc fecit **STEPH. MONACHIVS** in *Proleg. ad Varia Sacra*, in diatribe de Hippolyto, et T. II. p. 930. quem tantum non omnes sequuntur. Noua fuit **CHR. AVG. HEVMANNI** coniectura, qui non ecclesiasticum, sed ciuilem episcopum Hippolytum fuisse, nempe curatorem portus Romani Ostiensis, contra auctoritatem veterum contendere voluit, in *Diff. pec. inserta Primitiis Goetting. acad.* p. 239.
- b) *Cod. CXXI. Bibliothecae.*
- c) *Hist. eccl. Lib. VI. c. 22. p. 223. ed. Vales.*
- d) *In Catalogo Scriptor. eccl. c. LXI. p. 68. ed. Cypr. Indiculum scriptorum* Hippolyti continet etiam eius statua marmorea, *Romae 1551. effossa*, et *Bibliothecae Vaticanae illata*.

polationis aequi conuicti essent, ac nonnullis e) suspecti vi-
dentur, fatemur de laboris nostri, quem in praesenti suscipi-
mus, pretio et utilitate multum iri detractum. Sed mitius
fentiunt et, ut arbitramur, rectius plerique critici, f) quo-
rum iudicium sequuti haud committendum esse existimau-
mus, vt in nostro, de quo antea diximus, instituto, omnes,
qui *Hippolyto* adscribuntur, libellos praetermitteremus. Ex-
cerpemus igitur ex potioribus, quas reperire licuit, quae-
que usui esse possint, locorum N. T. interpretationes, hancce
in ea reviam tenentes, ut breuiter tantum illas enotemus, et quo-
ad satis est, explicemus atque dijudicemus, aliorum autem inter-
pretum longas enarrationes procul abesse iubeamus, quas ad
haec talia afferri neque tironibus fructuosum, doctioribus au-
tem molestum etiam et taediosum esse futurum existimamus.

Itaque exordiamur a libro, qui *Demonstratio de Christo et Antichristo inscribitur*, quem genuinam Hippolyti lucubra-
tionem FRANC. COMBEFISIVS nominat, non male de eo me-
ritus, cuiusque antiquitatem et γνησιότητα MARG. GVDIUS
inter alia hoc argumento defendit, g) quod de discrimine
personarum non caute semper scribit, quod ante editum
Symbo-

- e) Vid. S. R. IO. SAL. SEMLER, in der Geschichte der christl. Glaubenslehre § 66.
- f) Vide praeter alios EL. DUPIN Nou. Biblioth. Auctorum eccles. T. I. p. 176. sqq. et eruditorum iudicia in ed. opp. Hip. Fabr. suo quaeque loco allata.
- g) ad cap. XI. huius libri a se editi, not. ff. p. 9. ed. Fabr. Non confun-
denda autem est haec *Demonstratio* cum *Oratione de Consummatione
mundi, Antichristo et secundo aduentu I. C. a IO. PICO lat. conuersa et
edita*, quod scriptum supposititum esse omnes fatentur.

Symbolum Nicaenum fieri consueuisse notum est. In hoc itaque libro Cap. I. p. 4. ed. Fabric. quam sequemur, dum Theophilum suum hortatur, ut quae ἀρθόντως ἀξύσαμενες ὡς ἐξ ἀγλας πηγῆς, ἐξ αὐτῶν τῶν ἀγλῶν γέναρῶν, ex ipsis sacris Scripturis, velut ex sacro fonte, affatim bauriendo, illi sit ante oculos positurus τὰ ζητήμενα, ea cum hominibus piis et fidelibus communicet, caueatque ne ad maledicorum linguas traducat: hoc suum praeceptum auctoritate Paulli i Tim. VI, 20. confirmat: 'Οὐ γὰρ μάτιν, inquit, ὁ μακάριος ἀπόστολος παρειῶν τιμόθεω λέγει. Ὡς τιμόθεος, τὴν παρακαταθήκην Φύλαξον κ. τ. λ. Et paullo inferius monet, τὰ τὰς θεῖς λόγια hominibus profanis non sine periculo tradi. Ex qua sermonis serie probabile fit, per παρακαταθήκην, depositum, Hippolytum doctrinam sanctiorēm ab Apostolo Timotheo traditam intelligere. Quae interpretatio, dubium non est, quin aliorum explicationibus, qui modo de donis Spir. S. per manuum impositionem Timotheo tributis, modo de grege fidei eius commisso, modo de laborum mercede apud Deum quasi deposita, hic cogitant, longe sit praferenda. Postulant huncce sensum quae, tanquam contrarium euangelicae veritati, Ap. addit: ἐκτεεπόμενος τὰς βεβήλας κενοφωνίας καὶ αντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, nec minus usus vocabuli apud pure graecos receptus, h) quam maxime autem significatio hebr. יְתַקֵּפָה praeceptum, (v. Drusius ad h. l.) cui haud dubie παρακαταθήκη respondet.

Cap. I. p. 5. Ex 2 Tim. II, 1. ubi Ap. Timotheum, quae
ab

- b) Loca, quibus παρακαταθήκη de sermonum deposito, seu arcano, quod alicui concreditur, usurpatur affert CONR. BITTERSHUS. ad Prophyr. de vita Pythag. p. 55. ed. Kusteri.

ab ipso audiuerit, πιστοῖς ἀνθεώποις tradere iubet, ita concludit, ut, si Paullus, quae ab omnibus facile cognosci possent, caute et cum metu tradiderit, βλέπων τῷ πνεύματι, ὅτι ὁ πάντων οὐκ εἶ πίστις, tanto maius periculum nos incurrere necesse sit, si diuina eloquia temere cum profanis et indignis hominibus communicemus. Ex quo orationis contextu videor mihi perspicere, yera ex 2 Thess. III, 2. laudata Nostrum hoc sensu accepisse, ut ὁ πάντων οὐκ εἶ πίστις idem sit, ac ὁ πάντες πιστοί, non omnes sunt fidei et constantes Christiani; cui explicationi fauent, quae com. 3. sequuntur: πιστὸς δέ εἶπεν ὁ Κύριος, οὓς σημεῖξεν υμᾶς, quare a Schoetgenio aliisque nonnullis fuit approbata. Licet difitendum non sit, alteram, eamque plurimum, interpretationem: non omnes fidem i. e. euangelii doctrinam recipiunt, rationibus haud incommodis defendi posse.

c. II. p. 5. Verba Petri 2. ep. I, 20. πᾶσα προφῆτεια γράφης ἴδιας ἐπιλύσεως ὁ γάρ εἰχεν ἴδιας δυνάμεως ἐφθέγγοντο (οἱ προφῆται,) non ex propria facultate loquiuti sunt. Refert igitur τὴν ἐπιλύσιν ad ipsos prophetas, non ad alios scripta illorum interpretantes. In quo nonnullos ex recentioribus sibi consentientes habet, qui hac de causa ἐπιλύσιν non ab ἐπιλύειν soluere, explicare, sed a veteri verbo ἐλένθω deriuant, quasi ἐπήλυσις scriptum esset, hancque vocem per accessum seu impetum reddunt, ut GROTIUS: *Omnino assentior eis, qui legendum censem ἐπηλύσεως: non est prophetia res nostri impetus, non habet eam, qui vult, Spiritus ubi vult spirat.* Eandem explicationem LACKEMACHERVS i) probabilem reddere

i) *Obseru. Philol. P. II. p. 184. sqq. Qui etiam ipsam vocem ἐπηλύσιν, uti in textu est, sineulla mutatione, hanc significationem sustinere posse, probare contendit.*

dere studet, ratus, Petrum hoc loco negare, prophetiam hominibus naturalem esse. Certe Hippolytum ita eum intellexisse, vocabulum δυνάμεως, quod ἐπιλύσεως loco usurpat, et tota orationis eius series dubitari non sinit; qui et com. 21. οὐ γὰρ θελήματι ἀνθεώπη πένεχθη ποτὲ προφῆτείᾳ κ. τ. λ. ita declarat: οὐδὲ ἀπερ̄ αὐτοὶ ἐβάλοντο, ταῦτα ἐκήρυξσαν --- ἀλλὰ ἀπερ̄ αὐτοῖς ή μόνοις ἀπὸ τῆς Θεᾶς ἀποκεκαλυμμένα. (ita pro ἀποκεκενυμένα legendum *Gudius* recte coniicit.)

Ibid. Verbum κανοτομεῖν ita adhibet, ut noui aliquid docendo proponere, prophetarum doctrinam nouare et diuersa ab illa tradere, significet: Prophetarum vaticinia recte edoceti, inquit, non ex nostro sensu loquimur. Οὐδὲ γὰρ κανοτομεῖν ἐπιχειρεῖμεν ἀλλῆλοις τὰ προειρημένα πάλαι ἔγραπτα. Quem locum ideo non praetermittendum duximus, quia, quomodo ὁρθοτομεῖν 2 Tim. II, 15. sit explicandum, ex isto verbo colligi quodammodo potest. Illud enim in formula: ὁρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας non significat: verbum veritatis recte secare et distribuere, ita ut legem et euangelium eo, quo decet, loco adhibeas, uti vulgo accipi solet; sed nihil indicat aliud, nisi euangelium recte docere, sensumque eius, ut par est, exponere. Quod recte monuit SVICERVS. k)

Cap. III. p. 5. Locum Matth. XII, 18. tangit, ansamque praebet coniiciendi, vocabulum πῶς idem esse ac προφῆτης: Πῶς ἀν πάλαι τοῖς μακαρίοις προφῆταις ἀπεκάλυψεν οὐ τῆς Θεᾶς λόγος, ἀντὸς

k) In *Thes. eccles.* T. II. col. 508. sq.

**

άυτος πάλιν ὁ τῆς Θεᾶς παῖς, ὁ πάλαι μὲν λόγος, τυχεῖν ἐπιζητεῖς.
 Dixerat paullo superius: prophetas instinctu τῆς λόγου i. e. filii
Dei, quae vellet Deus, annunciasse. Iam itaque quaeris, in-
 quisit, quomodo ὁ λόγος τῆς Θεᾶς, qui ipse etiam postea παῖς τῆς Θεᾶς
 i. e. legatus seu *propheta Dei* fuit, prophetis manifestauerit (*vati-
 cinia?*) scilicet hebr. בָּרַע per παῖς aut δῆλος à LXX. et scripto-
 ribus N. T. declaratum, non tantum seruum, qui proprie sic
 dicitur, seu vile mancipium, sed legatum etiam, cui hono-
 ratiōr prouincia demandata est, designat, quo sensu Moses,
 Prophetae et Apostoli serui Dei passim appellantur. Quod
 hic annotare non alienum visum fuit, ne sicubi Paullus se
 δῆλος Ιησὺς χριστός, v. g. Rom. I, 1. profitetur, cum quibusdam de
 mancipio cogitemus, eiusque dictionis explicationem ex iure
 Romano repetere vano conatu tentemus.

*Cap. XLIV. p. 21. De Christi ad iudicium ultimum aduen-
 tu scribit: ὡς παραγένησεται απ' ὁρανῶν μετὰ δύναμεως ἀγγέλων καὶ
 πατέρων δόξης. Matth. XXIV, 30. et Luc. XXI, 27. vox δύναμις
 sine adiuncto ἀγγέλων legitur. Videtur igitur, ad haec loca
 respiciens, δύναμιν pro exercitu et copiis accepisse; nec impro-
 babili sane ratione. Nam δύναμις pro σερατιᾳ in simili causa
 adhibetur in Alexandrina versione 2 Paralip. XVIII, 18.
 Πᾶσα ἡ δύναμις τῆς ὁρανῆς παρεισήκει, pro quo 1 Reg. XXII, 19.
 πᾶσα ἡ σερατιὰ τῆς ὁρανῆς εἰσήκει. Ac notum est, alibi in sacris li-
 teris dici, aduentem ad iudicium Christum angelos esse
 comitatus, vid. Math. XXV, 31. 2 Thess. I, 7.*

*In Oratione in sancta Theophania c. III. p. 262. opp. vbi Io-
 hannem loquentem et Christi dotes praedicantem inducit,
 haec*

haec inter alia habet: Εγώ εύτελης καὶ ἐλάχισος. ἔρχεται δὲ ὥπισω με, ὃς ἐμπροσθέν με ἔστιν. ὥπισω, διὰ τὸν χρόνον, ἐμπροσθεν δὲ, διὰ τὸ ἀπρόσιτον καὶ αὐτοφρεσον τῆς Θεότητος Φῶς. Quibus verbis cum Iohannem hoc dicere iubet: *Christum post se venire ratione temporis*, quo scilicet serius munus suum adiit et praedicare coepit, ante se autem esse, propter inaccessum et ineffabile diuinitatis lumen, quo tenuis ad illum et minimus sit: euidens est, formulam ἐμπροσθέν με γέγονεν, Ioh. I, 15. 27. non tam de tempore, quo Christus, secundum diuinam naturam ab aeterno existens, Iohannem superauit, quanquam nec hoc excludatur, quam vniuersitate diuina eius praestantia, ab Hippolyto accipi, ut hinc redi debat: *me antecellit, superior me et dignior est.* Hoc sensu CHRYSTOMVS 1) etiam hanc phrasin accepit: τί εἰς τὸ ἐμπροσθεν ἐμβ γέγονεν; λαμπρότερος, ἐντιμώτερος, clarior, honorabilior est. In eo autem ab Hippolyto abit, quod non περὶ σωτεως, de diuina essentia, sed περὶ τιμῆς, de honore, sermonem Iohanni esse existimat, ut hinc praestantia, qua Christus illo sit superior non in diuina eius natura, sed in gloria, quam in muneris sui administratione sit consecuturus, ponenda existimetur. Hunc sequuntur ERASMVS, GROTIUS et nonnulli alii. Exemplum autem, quo phrasin gr. idem ac *praelatus mihi est*, significare, Grotius vincere vult, quoque vnico vtitur, rem nondum conficit. Gen. XLVIII, 20. enim commemoratur *Iacobus Ephraimum* (nomen eius prius enunciando) ante *Manassen posuisse*, quod LXX. vertunt: ἔθηκε τὸν ΕΦεαίμ ἐμπροσθεν τῷ Μανασσῷ, ex quo certe non dum
 *** 2 probari

1) In *Commentar. in Iob.* p. 85. ed. Opp. Francof.

probari potest, phrasin: ἐμπρεσθέν τινος γενέθαι, idem valere ac alteri praeferri.

Ibid. ad Ioh. I, 29. alludens Iohannem Baptistam inducit dicentem: Εγαύ αἱμαρτιῶν ἔνοχος, ἀντὸς δὲ αἱμαρτιῶν αἱφαρέτης. Eandem dictionem repetit paullo post c. IV. p. 263. Αἱμαρτιῶν αἱφαρέτης υπάρχεις. Scite sic explicat verbum ἄιρεν in dicto: Ἡδε ὁ αἱμοῦς τὰς Θεᾶς, ὁ ἄιρεν τὴν αἱμαρτίαν τὰς κόσμους. Quod verbum cum et portandi, et tollendi potestatem habeat; alteram significationem recte praecipitat, ideoque Christum αἱφαρέτην αἱμαρτιῶν dicit. Sic verbum hebr. נָשַׁׁר bene exprimitur, cui ἄιρεν in hac formula respondet, v. g. 1 Sam. XV, 25. נָשַׁׁר הַתְּנִתְנָה וְתַנְתֵּן ubi LXX: νῦν ἀέρον δη τὸ αἱμάρτημά με i. e. aufer seu condona peccatum meum.

Cap. V. p. 263. Christi ad Iohannem sermonem Matth. III, 15: Ἀφεσ ἀδετι, χτως πρέπον ήμιν ἐσώ, πᾶσαν δικαιοσύνην πληρῶσαν, ita declarat: πληρωτής είμι νόμος, γένεν Βελομας ἐλλιπες καταλείψας εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα, οὐα μετ' ἐμὲ Βοήση ὁ Παῦλος πλήρωμα νόμος ἡ χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστένοντι. In quibus posterioribus verbis ex Rom. X, 4. desumptis, vocem πλήρωμα pro τέλος usurpando, ostendit, quid per hanc intelligatur; videlicet ideo Christum τέλος νόμος appellari, quia ea, quae lex iubet, perfecte praestitit. Quem verum huius loci sensum esse, docet primum contextus, quo, non per opera legis, sed per fidem in Christum, qui legem impleuerit, iustitiam impetrari, affirmatur. Deinde impletionis potestatem vocabulo τέλος subiicere Paullo non inusitatum fuisse, planissime patet ex 1 Timoth. I, 5. coll. Rom. XIII, 10. Ut hinc assen-

assensum non mereantur, qui per *scopum* aut *vestigia* illud exponunt.

Ibid. Euangelistas narrantes, Spiritum S. in baptismate Christi ὡσὲ περιπερὰν apparuisse, Matth. III, 16. Marc. I, 10. de *habitu et forma columbae*, quam assumserit, non de modo et celeritate, qua se praesentem exhibuerit, ut nonnulli sunt opinati, loqui, Noster bene perspexit, ita scribens: οὐσάντως δὲ καὶ τὰς αγίας πνεύματος ἐν εἶδει περιπερᾶς κατόντος κ. τ. λ.

Cap. IX. p. 264. de Spiritu S. scribit: Τῷτο ἐστι τὸ πνεῦμα τὸ δοθὲν τοῖς ἀποσόλοις ἐν εἴδει πυρένων γλωσσῶν, respiciens ad Lucae narrationem Aet. II, 3: Καὶ ὁ Φθῆσαν ἀυτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσὲ πυρέος.

In libello contra Noëtum, quem FABRICIVS graece et lat. exhibit P. II. Opp. Hip. p. 5. sqq. quemque pro parte extrema libri Hippolytei aduersus haereses habet, cap. II. p. 7. monet, locum Paullinum Rom. IX, 5. ὁ ὥν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς ἐις τὰς ζωῶντας, a Noëto eo consilio afferri, vt inde probet, Christum esse verum et unicum Deum, hincque ipsum Patrem. Quod confirmat 10. ERN. GRABII (apud WOLF. in Cur. Crit. et Philol. ad h. l.) obseruationem, etiam veteres haereticos, de orthodoxis enim nulla dubitatio relinquitur, vocabulum Θεὸς hoc in loco de nullo alio, quam Christo intellexisse, hincque nouum et antea inauditum esse Whistonii cum gregalibus inuentum, quo haec verba pro doxologia haberi vult ad solum Patrem referenda. Hippolytus ipse

* * 3

quo

quo sensu hunc locum ceperit, aperit c. VI. p. 10. οὐκέπι πάντων Θεὸς γεγένηται, καὶ ἀνθρώπος γενόμενος Θεός εἶναι εἰς τὰς αἰῶνας, quibus verbis eundem, qui ex Maria homo natus est, aeternum Deum ab Apostolo dici, aperte fatetur.

Cap. VII. p. 12. Christi ad Philippum sermonem Ioh. XVI, 9: οὐκέπικαὶ εἰμὲ, εἴρεκε τὸν πατέρα, ad quem Noëtus prouocabat ostensurus, filium a patre tanquam personam non differre, ita Noster exponit: τοτέσιν εἰ εἰμὲ εἴρεκας, δι' εὑθὺς τὸν πατέρα γνῶναι δύνῃ. Διὰ γὰρ τῆς εἰκόνος ὄμολας τυγχανόσης εὐγνωτος ὁ πατὴρ γίνεται. Εἰ δὲ τὴν εἰκόνα, οὗτις εἶναι ὁ υἱός, σκηνὴ γνωστή, πῶς ιδεῖν θέλεις τὸν πατέρα. Quae, quin probanda sint, nemo credo dubitabit. De reliquo non diffitemur, occurrere subinde in hoc libello loca, quae filii cum Patre ὄμορφα parum conueniant; veluti cum verba Christi Ioh. X, 30. Εγὼ καὶ ὁ πατὴρ εἰναι εἰσμὲν, non de unitate essentiae, sed potentiae, et de confensione (δυνάμεις διαθέσει τῆς ὄμορφον) interpretatur, item cum πάντων, inquit, ηρατεῖς ὁ χειρός, αὐτῷ δὲ ὁ πατὴρ, etc. In quibus et similibus tamen excusationem fortassis meretur, propterea quod contra Noëtum, Patrem, Filium et Spiritum S. pro diuersis tantum nominibus unius personae habentem, disputans, facile induci potuit, ut personarum discrimen maius etiam, quam par erat, statueret, atque adeo incautius loqueretur. Certe non satis causae inde existere putarim, cur librum hunc Hippolyto abiudicatum, aut saltem eius antiquitatem negatam velimus.

Huius

* * * * *

Huius libelli qualiscunque edendi occasio nata fuit,
cum noui in Collegio Casimiriano Professoris inaugurandi
solennia indicenda essent. Etenim cum , qui Mathesin et
Philosophiam primam apud nos adhuc docuissest, b. Job.
Christophorus Cramerus, Vir harum scientiarum peritissimus,
subita nec opinata morte nuper defunctus esset : locus hic
honorificus, sapientissimo Perill. Scholarcharum collegii con-
filio, et iussu *Serenissimi Principis ac Domini, Domini ERNESTI*
FRIDERICI, *Ducis Saxonie, Iuliae, Cliviae, Montium,*
Angariae et Westphaliae etc. Nutritii Gymnasii nostri Clementissi-
mi, ad Virum Praenobilissimum, Amplissimum Doctissimumque,
JOHANNEM GEORGIVM HENRICVM FEDERVUM, abduc in
Cel. Erlangensi Pbilos. Doctorem Dignissimum Clarissimumque, est
delatus; ita tamen, vt loco Matheos, quam aliis ex Col-
legio nostro Vir doctissimus in posterum tradendam suscep-
pit, Orient. LL. docendarum munus cum Metaphysica con-
iunctum sustineret. Ad quod suscipiendum cum lubenti
animo, summi rectoris et domini numen in eo reueritus,
nuper Erlanga ad nostras musas venit, Vir ob spectatam
fidem et doctrinam nobis gratissimus exoptatissimusque:
mihi a grauissimis rerum nostrarum Curatoribus deman-
datum est, vt crastino die cathedrae nostrae copiam mo-
re maiorum publice nouo Doctori faciam. Quae solen-
nia decore et splendore non destituentur, si

SERE-

SERENISSIMVS PRINCEPS, PATER
PATRIAЕ CLEMENTISSIMVS,

SERENISSIMVS PRINCEPS HERES

CVM

SERENISSIMO FRATRE,

nec non Proceres Aulae Ducalis cum ceteris Maecenatis
bus et Gymnasii Fautoribus, gratosissimam et honorifi-
cam praesentiam suam hoc die Collegio nostro indulgere
non dedignantur; id quod est, quod omni animi demissione,
obseruantia et officio rogo atque contendō. Ciues autem Ca-
simirianos utriusque coetus tanto libentius et frequentius affu-
turos spero, quanto iucundior illis atque exoptatior
haec, quae de nouo paratur, discendi occasio esse debet.
P. P. e Tabula Casimir. d. XX. Nou. A. C. cIɔ Iɔ cc LXV.



6383a